

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franz Albert Aepinus

**In S. S. Pentecostes Festo, Ut A Contristatione Sancti Spiritus Dei Pie
Studiosissimeque Sibi Caveant, Cum Apostolo Paulo Eph. IV. 30. Publico Hoc
Programmate Cives Academicos ... Hortatur**

Rostochii: Typis Joannis Jacobi Adleri, [1742?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030630>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1742. Pfingsten.

~~M-1256.~~ 268.

BB. 1742

IN
S. S. PENTECOSTES FESTO,
UT A
**CONTRISTATIONE
SANCTI SPIRITUS
DEI**



PIE STUDIOSISSIMEQUE SIBI CAVE
CUM APOSTOLO PAULO EPH. IV. 30.

**PUBLICO HOC PROGRAMMATE
CIVES ACADEMICOS,
STUDIOSÆ CUMPRIMIS JUVENTUTIS
COHOREM,
SOLICITE SERIOQUE HORTATUR
ACADEMIÆ VARNIACÆ hodie RECTOR,
FRANC. ALBERT. ÆPINUS,
S. THEOL. D. PROF. DUCAL. PUBL.
ET CONSIL. CONSISTOR.
FACULTATIS THEOL. SENIOR.**

ROSTOCHII,
TYPIS JOANNIS JACOBI ADLERİ, SERENISS. PRINCIPIS
ET ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

M. 1256 268

* * * * *

Dum iterum, quæ Numinis supremi gratioſa voluntas sapi-
entissimaque directio est, Spiritus Sancti gloriæ dicatum,
ſacrum Pentecostes Festum celebrare nobis contigit, in
quo dum ad Vos, *CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI!* verba facienda mihi sunt, si rerum, tam temporis
convenientium, quam objecto sermonis instituendi dignarum, quæ
differendi mihi materiam ſuppeditare poſſent, copiam ſpecto, fa-
teor, eligendi potius, quam proponendi negotium majorem ferè mihi
creaſſe difficultatem. Etenim, ſi vel, quas non aperti ſolum Hære-
tici, ſed alii quoque, non adeò, ceu juxta monitum Apostolicum
Tit. I. 9. decet, ejus, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis sermonis
tenaces, hic movere, controversies memoriarum repræſento; vel operum
ac beneficiorum, quæ nobis in ſalutem noſtrām præſtitit, quotidieque
præſtat Spiritus S. & multitudinem & magnitudinem admiror; vel,
quæ Scriptura illi tribuit, nomina, elogia & prædicata meditor; omnia,
profecto, ſic comparata ſunt, ut eorum unumquodque ſingularem
mereatur conſiderationem, atque tractationem peculiarem poſtulet.
Aſt in præſenti, non unam ob causam, ſatiū duxi, quid nostri fit
erga Spiritum S. officii, majorem ad ædificationem noſtrām in vitâ
hic agendâ, diſpicer, ad idemque hortari. Verum & hic admodum
larga conſpicitur ſegeſ, quam omnem demetere, tam tempus prohi-
bet, quam aliæ, quibus circumdati ſumus, circumſtantia non pati-
untur: quamobrem præmetio quafī quodam hac vice contenti ſumus,
oportet. Opinor autem, in unam velut mergitem cuncta colligi
poſſe, ſi nobis in memoriam revocaverimus illud Gentium illius Do-
ctoris & Apostoli monitum, *Eph. IV. 30.* *Nē contristate Spiritum fan-
tum DEI, quo obſignati eſtis in diem liberationis.*

Per Spiritum S. tertiam heic indigitari S. S. Trinitatis personam,
nemini inter nos fore, reor, qui dubitaverit. Sociniani vero, per-
ſonalitatem illius negantes, & in virtutem, potentiam ac operationes
divinas; ut & Fanatici, in effluxum ac emanationem eſſentia divi-
na peculiarem eum convertere volentes, vel ipſo hoc dicto refel-
luntur, dum Spiritui Sancto contristatio tribuitur, quæ tribui non niſi
personis poſteſt. Quod idem etiam Apostolum per toties in unâ serie
repetitum articulum præpositivum, τὸ Πνεῦμα τὸ ἄγιον τὸ Θεός, dicens,
innuere voluiffe, quidam Interpretum obſervant, ut intelligatur tertia
persona S. S. Triados, adeoque verus ille, cum Patre Filioque unus, ſum-
mus & æternus Deus, per quem regenerantur, regeniti sanctifican-
tur,

tur, sanctificati foventur ac gubernantur. Huncce contrastari, cum
dicitur, id improprie per Metaphoram, quam *in Thesauris Dei* vocare
solemus, illi tribui, me vel non monente, quemlibet intelligere, duco.
In ens infinitum enim ejusmodi passiones propriè sumtæ, quippe quæ
accidentia physica sunt, minimè cadere, aut in eo locum invenire
queunt. Quare, cum DEO Gaudium, ira, pœnitentia, aliive, qui-
bus nos obnoxii sumus, affectus adscribuntur, ad effectum potius re-
spicere, quam effectum concipere, nos oportet. Innuitur enim meta-
phoricas hujusmodi loquutionibus nihil aliud, quam quod erga nos
ita se gerat & agat Deus, ut agere solent homines, qui vel gaudio
ducuntur, vel irati sunt, vel quos dicti factive cujusdam pœnitent, &
sic in ceteris. Similiter itaque de contrastatione sancti Spiritus DEI,
cujus hîc mentio fit, tenendum est. Ecquid autem est rei, quo Spi-
tum S. contrastare possimus? Apostolus, quem alibi plerumque, hac
etiam in Epistola morem observat, vt initio quidem, quæ fidem spe-
stant, doceat, deindeque morum Christianorum formationem curæ
sibi habeat, siquidem veri Christiani non solum, rectè credere, sed
& benè pièque vivere, est. Posteaquam igitur in prioribus tribus ca-
pitibus credenda proposuerat, in præsenti jam adhortationes ad vi-
tam regenitos decentem ordituri, præmisso v. 1. generali monito, ut
ambulent dignè vocatione, quâ vocati sunt, ad DEum videlicet ac
æternam beatitudinem. Quandoquidem autem virtutis studium ge-
nuinum atque sincerum esse, sine vitiorum fugâ, nequit: Opposi-
torum etenim unum, alterum è subjecto tollere debet; idcirco Pau-
lus etiam, ceu sapienti morum formatori convenit, utrumque ob-
servat, nunc ad actiones pias, justas & sanctas adhortando, nunc à
peccatis & omni malitiâ dehortando, rem agens. Et inter hæc etiam,
quod adduximus, referendum est, paucis quidem verbis conceptum,
at sensu prolixioris maximique ponderis, de vitâ sancti Spiritus
DEI contrastatione, monitum. Id quod, etiamsi non per conjunctio-
nem aliquam causalem, sed per merè copulativam cum præcedente
versu conneßatur, ut eapropter adhortationis Apostolicæ peculiare
objectum constituere videri queat; haud immerito tamen, quinimò
rectissimè pro ratione reliquarum etiam dehortationum habendum esse,
existimamus. Præterquam enim, quod nec alias inusitatum est, ra-
tionem fudentem aut disfudentem cum aliâ vel adhortatione vel
dehortatione conjunctione copulativâ conjungi, si & ipsa tale quid,
quod vel agendum, vel fugiendum nobis est, in se contineat, præ-
sertim si inter dehortationem & ejus rationem adhortatio ad contra-
rium, uti h. l. intercesserit; multum generalius hoc ceteris est, quæ
tam

tam in antecedentibus, quam consequentibus habentur, Apostoli monitis. Omnia namque, quæ h̄c homini regenito vitanda fugienda que proponuntur, ita comparata sunt, ut sub illo generali comprehendantur, & qui contrā faciunt, interdicta committentes, sanctum DEI Spiritum istis facinoribus suis non contristare non possint. Sunt equidem, qui, solorum immediate praecedentium hanc esse rationem prohibitivam, opinantur, quasi peccata oris solum, & omnis spuriæ sermonis respiciantur, quorsum igitur illam tantum applicant, & ceu rationem dehortationis ab illis accommodant, licet alioquin non inficiantur, quælibet peccata proæretica Spiritum S. offendere ac contristare; sed tamen rei convenientius ab aliis judicatur, argumentum illud ad omnia monita dehortatoria, sequentia non minus ac antecedentia, pertinere, ut nullo planè modo, sive iis, quæ modo dixerat, sive iis, quæ dicturus adhuc Apostolus erat, vitiis Spiritum DEI sanctum contristemus, & idcirco illud velut in medio collocatum esse. Nullum enim ullum peccatum vitiumve h̄c prohibitum nominari poterit, quod non, si voluntarium fuerit, ex eâ ratione vitandum, quia Spiritum S. offendit, dolore velut afficit atque contristat. Est enim ille Spiritus justissimus atque sanctissimus, cuius essentia ipsa justitia & sanctitas æterna est, adeoque peccata non odisse ac detestari non potest. *Ecquod enim consortium justitiae cum iniustitia?*

2. Cor. VI. 14. Sed qualis tandem est illa contristatio, quæ Spiritui S. contingat, ipsique peccatis nostris creetur? Potest tristitia, quatenus affectus in nobis est, dupli modo comparata esse atque spectari: vel ut simplex, aut si mavis, pura & solitaria; vel ut mixta & cum alio quodam affectu, præsertim irâ & indignatione, conjuncta. Si namque nobis adversa, molesta ac dolorosa contingunt, quæ non nisi à DEI voluntate sapientissimâque directione dependere novimus, quemadmodum *Joh. XVI. 21.* mulieres parturientes, λίπην, dolorem, tristitiam habere dicuntur, vel sicut ob nostrorum à nobis cupide amatorum mortem dolore quidem afficimur ac contristamur, at sine omni aduersus DEum irâ aut indignatione. Sed si perversus quidam homuncio, ex merâ malitiâ crudelitateve viventem, nobis charum, neci dederit, interitum illius adeò dolemus, & ita contristamur, ut simul non modò facinus istud horreamus ac detestemur, sed & erga facinorosum odio, irâ & indignatione accendamur, vindictam non ipsi quidem ab eo sumentes, attamen ab iis, quos penes ea potestas est, sumendam sperantes, imò voventes ac optantes. Aut, si quem beneficiis olim non levibus nec paucis maectaverimus, is autem, eorum immemor, ingratitudinem suam aperte declaraverit, vel injuriis

nos

nos afficio, vel illatis damnis beneficia collata compensando, quis nostrum est, qui hoc indignè non ferat, propterea contristetur, ac animum ab ingrato hoc gerat alienum, & eum ipsum aversatus, & consortium illius fugiens? Talis est, quâ Spiritum S. peccatis nostris afficimus, contristatio. Est ille cum DEO Patre Filioque benefactor noster ter Optimus Maximusque. Quæ namque Patris benevolentia nobis ab æterno destinavit, quæ Filius incarnatus, præstitâ justitiæ divinæ, pro peccatis nostris, satisfactione, nobis promeritus est, bona omnia nobis applicat gratia Spiritus sancti, sine qua illorum participes fieri nunquam potuissimus, nec poterimus unquam. Non vacat in præsenti, quæ à Spiritu S. in nos conferuntur, dona & beneficia, per visitatam Scripturarum S. appropriationem illi speciatim adscripta, de quibus ex Theologiâ Dogmaticâ constat, & de quibus, hodierno Festo, plura facturi verba sunt Verbi divini Præcones, ordine suo prolixe hic enumerari, eorundemve deprædicari varietatem atque magnitudinem. Complexum interim eorum omnium exprimit unio Spiritus sancti nobiscum mystica & in nobis inhabitatio, *I. Cor. III. 16.*
17. VI. 19. à quâ est & communicatio mystica, quâ bonitatis suæ divitias nobis dispensat, ac earum participes nos facit, ut quicquid in nobis boni DEO placentis, id omne Spiritus S. in nobis operationibus acceptum ferre habeamus. Quod si ergo hæc illius ingentia beneficia spreverimus, vel iisdem indignos nos gesserimus, non potest non propterea contristari Spiritus Sanctus, & quidem, non nudè duntaxat atque simpliciter, sed cum irâ simul ac indignatione. Ita contristationem Spiritus sancti, quam ei peccata nostra pariunt, *Esaias Propheta Cap. LXIII. 10.* describit. Posteaquam enim v. 8. 9. in compendio, quæ populi tum sui majoribus DEus exhibuerat, insignia beneficia in memoriam iis revocaverat, exprobrationem hancce subjungit: *Illi tamen* (patres vestri) *rebellaverunt, & exacerbarunt* (alii: ad iracundiam provocaverunt & afflixerunt) *Spiritum Sanctitatis ejus, unde conversus est illis in hostem, ita ut ipse pugnaverit contra illos.* B. Lutherus noster: Aber sie erbitterten und entrüsteten seinen heiligen Geist, darumb ward er ihr Feind, und stritt wieder sie, contra prævaricationes eorum decertans, & afflictionibus easdem reprimens, in deserto refractarios tandem prosterndo. En itaque Spiritus sancti, propter peccata hominum, contristationem cum irâ & indignatione conjunctam, vindictam quærentem, quin poenas inferentem gravissimas. Atque hoc ipsum etiam Apostolus innuit, rationem, cur contristandus non sit Spiritus S. adjungens verbis: *Quo, (scilicet Spiritu,) obsignati estis in diem liberacionis.* Quibus respicit mysticam illam Spiritus S. nobiscum unionem

ac inhabitacionem in nobis. Per hanc enim est ille quasi sigillum cordibus nostris impressum, nos, in fide ac charitate si perseveramus, tanquam peculium DEI signans, & erectum nobiscum foedus divinum confirmans, vt eo, seu charactere, fideles ab infidelibus discerni, ac, quod in gratia DEI sint & aeternae salutis haeredes, ex ipsius testimonio, Rom. IX 16. certi esse possint. Unde non : *in die liberationis*; dicit, quemadmodum versio Vulgata legit, ex quo nonnulli collati nobis Baptismi diem, quippe quo primum, qui naturâ filii ira eramus, Eph. II. 3. in filios DEI adoptati sumus, Gal. III. 26. 27. intelligendum volunt; sed : *in*, vel, *ad diem liberationis*; nimirum perfectæ atque completæ illius, qua ab omnibus nostris hostibus spiritualibus, peccato, morte ac infidiis diaboli, liberabimur, qui futurus demum est dies beatæ resurrectionis ad vitam aeternam. Ex quo facilè colligitur, quantopere cavenda sit unicuique nostrum contristatio Spiritus sancti. Sigillo namque hoc obliterato, vel ablato, quis certus esse poterit de gratiâ DEI, de remissione peccatorum, de salutis aeternæ haereditate? Qualis tum supererit fides? Quæ spes & fiducia remansura? De omnibus enim ipsis Spiritus S. per Verbum suum in cordibus nostris testatur redditque nos certiores, tanquam sigillum eadem omnia obsignans atque confirmans. Quo proinde à nobis sublato & ob peccata, quæ sanctitas ipsius odit, detestatur ac fugit, recedente, nihil in nobis certitudinis, nihil fiduciae, nihil firmæ illorum spei remanere ac superesse potest. Fugere vero Spiritum S. & omnem abhorre malitiam, ac à temere peccantibus recedere, subtraetâ illis gratiosâ suâ operatione, clarius attestatur Scriptura, quam ut contrarium nobis persuaderè, patiamur. Legantur expressa de hoc loca, Ps. LI. 13. Es. LIX. 2. Mich. III. 4. Lib. Sap. I. 5. Et idem etiam agnoscit ac confitetur Ecclesia nostra, hoc præcipue Festo, Spiritum S. alloquens, canendo :

Du bist Heilig, läßt dich finden,
Wo man rein und sauber ist:
Fleuchst hingegen Schand und Sünden,
Wie die Tauben Staub und Mist.

Hæc Spiritus S. fuga, hic ejus à peccatoribus discessus, consequens & effectus est contristationis ipsius, eam cum affectu indignationis & iræ, *ανθρωποαγωγως* loquendo, conjunctam, indeque penas inferentem, arguens. Ex quo proinde intelligendum, quam periculosem fit, animarumque saluti noxiun, Spiritum S. contristare, peccatis eum abigere, fidem & reliqua illius spiritualia dona, sine quibus salvari nequimus, excutere iisdemque privari. Quisquis enim Spir-

Spiritum S. deserit & ab eo, temerè peccando, recedit, eum Spiritus S. vicissim deserit, & ab eo, quoad substantiam pariter ac gratiâ suâ, recedit, unionis mysticæ vinculo, quod fides est, rupto. Quamobrem, quia salutis nostræ cupidissimus est, ut utrumque sollicitè curatissimèque caveatur, graviter nos monitos voluit, per Hoseam Prophetam nobis acclamans: *Væ illis, quia divagati sunt à me*, Cap. VII. 13. & Cap. IX. 12. *Væ illis, quando recessero ab illis.* A quo namque Spiritus sanctus, peccatis offensus ac contristatus, recessit, in illo cef-sant, & ejus gratiæ sanctificatricis operationes. Quibus autem privati, sigillo ac obsignatione in diem liberationis destituuntur. Quo carentes, nisi, seriam agendo pœnitentiam, ad eum reversi, cum Spiritu S. denud reduniantur, spem salutis æternæ nullam habere possunt, & in incredulitate hinc decedentes in exitium æternum, quo pœnas peccatorum suorum, quibus Spiritum S. contristavere, luant, præcipitabuntur. Vah! itaque tremendum cavendumque summopere contristationis Spiritus sancti Periculum. Quod si rectè cognoveritis, CIVES! rectèque pensitaveritis, ut ejus summâ curâ vitandi, superflua verborum copiâ, Vosmet admoneam, modò salutis vestræ cupidi sitis ipsi, haud opus esse, reor. Res enim ipsa loquitur. Nec erit, ut adhortatione prolixâ doceamini vitandi ejus rationem, utpote quam ex Legibus, tum divinis, tum humanis, &, ad statum nostrum quod speciatim attinet, Academicis etiam nostris, conscientiam nostram utique non minus obligantibus, nostis, novisse, certè debetis. Verbo duntaxat edicam: *Vitetis, quæso Vos, peccata, & contristationem Spiritus Sancti vitabitis;* & hancce fugientes effugietis eam concomitans periculum, periculorum omnium periculosissimum.

Hic autem Vos, quos in pectore gero, quosque fraterno, quin, dicere si licet, paterno, quem sincerum agnoscetis, affectu prosequor, *COMMILITONES JUCUNDISSIMI!* Vos, inquam, speciatim alloquor, cum *Paulo 2. Cor. XIII. 5.* hortatus: *Tentate vos ipsos, num sitis in fide?* quæ vinculum est unicum cum Spiritu S. mysticè nos uniens; *vos ipsos probate!* Probabitis autem atque tentabitis Vos ex operibus vestris. *Fides enim per charitatem,* (quæ, juxta Salvatoris ipsius, *Matth. XXII. 36. - 41.* & Apostoli, *Rom. XIII. 8. 9. 10.* explanationem, Legis omnis impletio est) efficax est ac operans. Et, sicuti corpus sine spiritu mortuum est: *sic etiam fides sine operibus mortua* (i. e. nulla) est, *Jac. II. 26.* Gaudemus equidem, multumque nos consolatur, quod cœtus vestri plurimos, per DEI gratiam, observamus, quos à contristatione Spiritus sancti, quantum nos ex operibus, quatenus nobis innotescunt, judicare valemus, immunes existimare, saltē spem

spem de illis optimam fovere possumus. At at, dolemus etiam, & iterum iterumque dolemus, ut in universum de mundo hoc dicitur: Sunt mala mixta bonis; sic idem in Academiâ nostrâ nos experiri. Multi quippe in ordine vestro, non hypocritæ solum, sed aperte quoque mali bonis admixti sunt, facinoribus suis, quæ cum verâ fide nunquam conciliari queunt, Spiritum S. contristantes. Non inquiram in vestrum erga DEum amorem, id ipsi cordium Scrutatori relinquens. Attamen certissimum est, quod ex afflato divino nobis Johannes 1. Ep. IV. 20. 21. inculcat: *Siquis dicat: omnino diligo DEum, sed fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit; DEum, quem non vidit, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab illo, ut qui diligit DEum, diligat etiam fratrem suum.* Jam velim, cum dilectione fraternâ hoc conciliatis, qui fratrem vestrum ac commilitonem, non injuriis tantum insultare in deliciis habetis, sed armis etiam aggredi & digladiationibus cum eo misceri non dubitatis. Quælibet voluntaria, quam levis alioquin astimari soleat, læsio proximi charitati christiana repugnat: quomodo vero cum eâ conciliabitis, quæ haud pridem, nocturno cumpromis tempore, pecculantia vestra patravit, proximo partim nociva, partim omnino tam indecora, Musarum filii & Statu vestro tam indigna, ut memorare me, bona existimationi vestra consulentem, pudeat. Quomodo cum fide conciliabitis, qui loca sacra, non auscultationis Verbi divini, sed lustrationis personarum gratia, non adire, sed invadere, haud veremini, non ædificationem, tam Vobis necessariam, quærentes, sed aliorum devotionem impedientes, scandalumque præbentes? Numne recordamini, hoc pacto Vos Spiritum S. contristare? Nostis, Legibus Academicis omnia hæc expresse serioque prohibita: quamobrem absint à Vobis talia, & absint quam longissimè, quo conscientiis vestris parcatis, inmemores semper illius Paulini, Rom. XIII. 1.-6. Non permittit angustia paginae hac vice plura. Quocirca DEum supplex imploro, Spiritu suo S. sine quo boni nihil in nobis esse potest, impletat corda nostra, qui nos omnes in viam reitudinis ducat, faxitque, nullo non tempore non in auribus solum, sed animis etiam nostris monitum illud resonet:

NE CONTRISTETIS SANCTUM DEI SPIRITUM!
Fiat!

P. P. sub Sigillo Rectoratus Academici,
Feria I. Pentecostes, mensis Maji d. 13.
Anno MDCCXLII.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004030630/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030630/phys_0011)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004030630/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004030630/phys_0012)

DFG

Spiritum S. deserit & ab eo, temerè peccando, recedit, eu
 S. vicissim deserit, & ab eo, quoad substantiam pariter ac
 recedit, unionis mysticæ vinculo, quod fides est, rupto.
 rem, quia salutis nostræ cupidissimus est, ut utrumque fidei
 ratissimèque caveatur, graviter nos monitos voluit, per I
 phetam nobis acclamans: *Væ illis, quia divagati sunt à me,*
 13. & Cap. IX. 12. *Væ illis, quando recessero ab illis.* A quo na
 ritus sanctus, peccatis offensus ac contristatus, recessit,
 sanctus, & ejus gratiæ sanctificatricis operationes. Quibus au
 ti, sigillo ac ob-signatione in diem liberationis destituuntur
 rentes, nisi, seriam agendo pœnitentiam, ad eum reversi, c
 S. denuò redundiantur, spem salutis æternæ nullam habere
 in incredulitate hinc decedentes in exitium æternum, quo r
 eatorum suorum, quibus Spiritum S. contristavere, luant,
 buntur. Vah! itaque tremendum cavendumque summop
 er stationis Spiritus sancti Periculum. Quod si rectè cognov
 VES! rectèque pensitaveritis, ut ejus summâ curâ vitandi
 verborum copiâ, Vosmet admoneam, modò salutis vestræ
 ipsi, haud opus esse, reor. Res enim ipsa loquitur. Nec
 hortatione prolixâ doceamini vitandi ejus rationem, utpote
 Legibus, tum divinis, tum humanis, &, ad statum nos
 speciatim attinet, Academicis etiam nostris, conscientiar
 utique non minus obligantibus, nostis, novisse, certè, debe
 suntaxat edicam: Vitetis, quæso Vos, peccata, & contr
 Spiritus Sancti vitabitis; & hancce fugientes effugietis eam
 tans periculum, periculorum omnium periculosisimum.

Hic autem Vos, quos in pectore gero, quosque frater
 dicere si licet, paterno, quem sincerum agnoscetis, affe
 quor, *COMMITITONES JUCUNDISSIMI!* Vos, inqua
 tim alloquor, cum Paulo 2. Cor. XIII. 5. hortatus: *Tentat
 um sitis in fide?* quæ vinculum est unicum cum Spiritu
 nos uniens; *vos ipsis probate!* Probabitis autem atque tentab
 ex operibus vestris. Fides enim per charitatem, (quæ, juxta
 ipsius, Matth. XXII. 36. - 41. & Apostoli, Rom. XIII. 8. 9.
 cationem, Legis omnis impletio est) efficax est ac operans. Et
opus sine spiritu mortuum est: sic etiam fides sine operibus mortua
est; Jac. II. 26. Gaudemus equidem, multumque nos
 quod cœtus vestri plurimos, per DEI gratiam, observamus
 contristatione Spiritus sancti, quantum nos ex operibus,
 nobis innotescunt, judicare valemus, immunes existimare

